



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

In Qvo XVI. Antiqua Monumenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illustrandam,  
Nunquam Edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1601**

Ad Lectorem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64144)

## AD LECTOREM.

**A**D MODUM Reverendus & clarissimus Dominus D. Georgius Lautberus ad D. Virginis Monachij Praepositus, &c. pro ea qua praeditus est recondita eruditione, omnisq; antiquitatis scientia, eruit e tenebris manuscripti codicis haec Concilia, digna luce. Illi ergo, amice Lector, tu pariter mecum acceptum refer, & gratias habe, quod habes haec; quae scio, venerabilis, videbisq; quasi praesens, faciem aliquam Germanicae Ecclesiarum temporum. Nomen Archiepiscopi Saltzburg. non exprimitur in primo Concilio, sed litera F. innuitur: Ego audacter Fridericum interpretor; qui, teste Eberhardo Altahensi, obiit anno 1284. In tempore Concilij Saltzburgensis, quod apographum nostrum refert ad annum 1274. non contemnenda difficultas oboritur. Nam tribus Eberhardo Altahensi & Sterone, celebratum est generale Concilium eodem anno 1274. apud Lugdunum; cuius statuta ut serventur, praecipit hoc nostrum Saltzburgense Concilium in initio. Necessario ergo est vel\* eodem anno Lugdunense & Saltzburgense Concilia celebrata, vel in numero mendam esse. Accedit quod Henricus Stero edidit ne Fr. haec habeat: Anno 1281. à Friderico Saltzburgensi Archiepiscopo apud Saltzburgam Concilium celebratum. Quae verba numerata omnia dat etiam noster Eberhardus Altahensis: cuius editione retinimus, propter sequentia & antecedentia, numerum anni 1281. licet manuscriptus Codex Eberhardi habuerit (ut notavimus ibi in margine) annum 1186. sine dubio vitiose: cum Fridericus Saltzburg. Archiepiscopus obierit ann. 1284. An vero idipsum nostrum sit Concilium Saltzburgense, cui adscriptus 1274. annus, omnino diserto, Nescio: sed non puto. Bonum vero factum censeo, Lectorem

\* quod mihi probabile, si singulis annis tum celebrata Concilia: quimos è Canonibus probus & notus.

DA

333

admoneri. Quare autem potius duo diuersa hæc prouincialia Concilia  
 fuisse putem, unum anno 1274. alterum 1281. celebratum, mouent  
 me verba huius nostri Concilij hæc: Alioqui nos in proximo pro-  
 uinciali Concilio ad reformationem prædicti Ordinis, quan-  
 tum de iure possumus, procedemus. Vbi vides in hoc Concilio  
 promitti quasi proximum aliud. Et paulo post ibidem: In proxi-  
 mo prouinciali Concilio fidem nobis faciant priuilegio-  
 rum. Et iterum: In ipso proximo prouinciali Concilio, seu  
 Episcopali Synodo, quem terminum ipsis peremptorium  
 assignamus, legitimis documētis edoceant. Imo singulis annis  
 tam Synodus Prouincialis cogebatur: quod colligo ex Viennensis  
 Concilij his verbis: Singulis annis in Synodo illi, qui Clericos  
 capiunt, &c. excommunicati denuncientur. Imo anno IV.  
 Pipini Regis in Concilio apud Palatium Vernis Statutum Can. 4. vt  
 in anno Synodus celebraretur.

De Concilio Viennensi in Annalibus nostri Henr. Steronis supra  
 fol. 299. anno 1267. luculentum testimonium inuenies: quod vbi per-  
 legeris, gratulaberis, scio, te integrum possidere, quod  
 Stero tam honorifice citat.

¶



Gggg 2 CON-